



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 42. P. Petri a Matre Dei obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII.  
A. C. 1608.

§. XLII.

*P. Petri a Matre Dei obitus.*

*Baron.  
Tom. XII.  
Annal. ad  
ann. 1187.  
n. 20.  
Andr. Vi-  
storell. addit.  
ad Ciacon.  
Joan. a Je-  
su M. vita  
V. Petri.*

Non minus pietate ac eruditione ce-  
lebrem se reddidit Pater Petrus a  
Matre Dei natione Arragonius in civi-  
tate Darocensi, unde passim dicebatur  
*Petrus de Rocca*, anno restaurati mundi  
millesimo quingentesimo sexagesimo  
quinto die decima sexta Augusti  
natus. Hic vero naturæ prodigio  
faustoque omine sub lingua detu-  
lit nascens, conservavitque vivens ste-  
lam candicantibus radiis distinctam.  
Anno ætatis suæ decimo sexto die ve-  
gesima tertia Januarii solemni votorum  
sponsione Carmelitarum Excalceatorum  
Regulam professus eximiam vitæ Sancti-  
tatem cum sciendi ardore tam felici  
nexu conjungebat, ut celeberrimæ Com-  
plutensis Academiæ Doctores certatim  
accurrerent, vitæ morumque Magistrum  
audituri in pulpitis, quem olim habe-  
bant discipulum in scholis. Inde Ge-  
nuam ac postea Romam missus itineris  
comitem habuit Cardinalem Alexan-  
drinum, qui de Petro hæc protulit.  
*Adduxi mecum Patrem istum magnum De-*  
*servum, in vitæ Sanctitate, doctrina, et*  
*concionandi gratia excellentissimum: postea*  
ab eodem ad Clementis VIII. alloquium  
addu-

adductus per Adventum Conciones Ro- Sæc. XVII.  
 mæ in Ecclesia Sancti Spiritus cum ma- A. C. 1608.  
 ximo omnium Ordinum concursu habe-  
 bat, ac in præcipuis Italiæ urbibus uber-  
 rimo animarum proventu, Vir sermone  
 & opere potens, ad populum dicebat,  
 tandem vero Apostolicus Sacri Palatii  
 Concionator ab eodem summo Ponti-  
 fice selectus, Regimen Reformatorum  
 Fratrum Ordinis S. Augustini in se su-  
 scipere iussus erat: postea Congregatio-  
 nis Italicæ Commissarius ac Missionum  
 præcipue Persicæ Vicarius fidem Ca-  
 tholicam mirifice propagabat. Deni-  
 que in totius Ordinis sui Generalem as-  
 sumptus, cum recuperandæ valetudi-  
 nis gratia Nuceriam contenderet, ibi-  
 dem purissimam animam Deo reddidit  
 die vigesima sexta Augusti; inde ejus  
 exuviæ, quæ omnino integræ atque in-  
 corruptæ reperiabantur, triennio post  
 Romam translatae in Conventu Sanctæ  
 Mariæ de Scala repositæ sunt. Hujus  
 Viri memoria hodiedum Romæ & alibi  
 in benedictione est, ac de ejus Sancti-  
 tate Baronius oculatus testis ac in pie-  
 tatis, laborisque Apostolici exercitiis  
 socius præclarum hoc de Venerabili Pa-  
 tre testimonium reliquit, his verbis eum  
 commendans: *Viro dignissimo Petro de  
 Matre Dei a Rocca Carmelitano restitutæ  
 observantiæ custode & Propagatore, Sa-  
 crisque*

**Sæc. XVII.** *crique Palatii a Clemente VIII. delecto Con-*  
**A. C. 1608.** *cionatore vix aliquis sanctior illo tempore*  
Romæ reperiri potuit. Scripsit hic idem  
 Petrus Epistolas quamplurimas Sancti  
 Spiritus charismatibus plenas, necnon  
 etiam sermones, quos habuit ad popu-  
 lum. Exstat quoque illius tractatus de  
 Humilitate, qui tamen nondum typis  
 editus asservatur Romæ in Archivio Or-  
 dinis. Denique edidit Ordinationes &  
 statuta quædam pro sua Congregatio-  
 ne Italica.

## §. XLIII.

*Pater Basilius Angussola mortuus.*

*Bullar. Or-*  
*dnis t. 2.*

*Et 4.*

*Bulla Clem.*  
*cum sicut*  
*1601. 20. De-*  
*cembris.*

**A**lter ex eodem Instituto erat Pater  
 Basilius Angussola natione Italianus  
 patria Cremonensis, qui ex nobilissima  
 stirpe ortus anno a partu Virginis mil-  
 lesimo quingentesimo quinquagesimo  
 octavo primam lucem aspexit, atque  
 antiquioris Carmeli observantiam pro-  
 fessus, Theologiæ Doctor, Romani Col-  
 legii Sacræ Theologiæ Professor, Pro-  
 vinciæ Romanæ Provincialis ac Con-  
 gregationis Procurator Generalis renun-  
 tiatus est. Cum autem Episcoporum  
 nonnulli Religiosos intra claustra degen-  
 tes coram ipsis in prima, ut vocant, in-  
 stantia in causis civilibus esse conve-  
 niendos contenderent, Basilius re ad  
 Pon-